



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De nouitio, qui Abbati confessus est in somnis, cap. 25

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

dens & exultans, dicebat intra se: Eia, certè capinus bestiam, inuenimus prædam, iste enim est. Et surgens intrauit cum eo capitulum. Cuius pedibus iuuenis prostratus, fecit de peccato confessionem, retulit visionem, suscepit pœnitentiam; sicque per prudentiam medici denudatum ac sanatū est vultus stolidi ægroti. Hæc nobis retulit dominus Geuardus Abbas noster, rediens de capitulo generali. APOLLONIVS: Magnum donū Dei est, quòd sic mortui viuos hortantur ad confessionem. CÆSARIVS: Tantum bonum est confessio, vt etiam eorum vtantur spiritus mortuorum. Sapius percepi mortuos viuis apparuisse in somnis, & ob quæ peccata detinerentur in pœnis, confessos fuisse, & quibus beneficijs liberari possent, veraciter indicasse: quod postea veracibus signis probatū est: similibus enim similia cõgredient, quia corpus dormientis modicum distat à mortuo, & dum homo exterior quiescit, interior saepe efficacius vigilat. Non semper somnia sunt vana, sed nõnunquam reuelationes diuinæ, sicut habes de Ioseph patriarcha, de Danièle, de Ioseph sponso Mariae, de tribus Magis. APOLLONIVS: Velle mihi aliquo demõstrari exẽplo, quòd spiritus mortuorum spiritibus confiteantur viuorum.

## CAPVT XXV.

CÆSARIVS.

**I**uuenis quidem in quadam domo ordinis nostri susceptus est in nouitiū; modico elapso tempore, idem nouitius grauiter infirmatus ad extrema peruenit: nondum autem, secundum consuetudinem ordinis, confessionem generalem fecerat Abbati, quia absens erat. Quem cum expectaret cum desiderio magno, & ille non veniret, confessus est priori quæcunque commiserat, sicque ante Abbatis aduentum, diem clausit extremum. Eadem nocte, cum Abbas in quadam sua grangia dormiret, & de obitu nouitij nihil prorsus sciret, ante lectum Abbatis defuncti se spiritus inclinavit, & vt suam audire dignaretur confessionem, humiliter supplicauit. Abbas iste esse dicitur S. Hugo Abbas Bonæ vallis, qui iam incipit claresce-

*Confessio  
mortuorum.*

*Gen. 37.  
Dan. 7.  
Mat. 1.2*

re miraculis. Respondente eo nouitio: Libenter te audiam: Ille omnia peccata sua confessus est ei, eo ordine & modo, quo confessus fuerat Priori. Cuius contritio tanta fuit, vt etiam lachrymæ ex oculis nouitij, se inclinantis & confitentis, cadere viderentur super pectus Abbatis. Cōfessione completa, hæc verba protulit: Modò, inquit, pater cum benedictione tua vado, quia saluari non potui, nisi fecissem tibi cōfessionem meam. Ad quod verbum Abbas euigilans, experiri volens vtrum visio esset vera, vel, sicut sepe euenit, fantastica, cucullam supra pectus suum palpauit, quæ tetram inuenit madidam, lachrymarumque stillicidijs perfusam & resperfam. Tunc satis admirans, cum domum redisset, & Priori somnium recitasset, respondit ille: Vera fuit visio, & verissima confessio. APOLLONIVS: Quid est quod nouitius dixit, se non posse liberari sine tali confessione, cum confessionem debitam non excluderet ei tempus, sed necessitas? Si contritus decessit, iam de saluandis erat: sin autem, nil ei post mortem confessio profuit, quia à mortuo, quasi non sit, perit confessio. CAESARIUS: Puto quòd Deus tantum verbis vel actis eius voluerit ostendere, quantum ei placeat debita confessio, id est illa, quæ fit proprio Prælato. Quod autem ait: Non potui saluari, sic dictum intelligo, id est, tam citò de purgatorio, sicut modò, liberari. De huiusmodi collationibus mortuorum cum viuis, satis audies in xij. dist. Nec te moueat, quòd spiritus hominum electorum dixi confessos fuisse peccata sua post mortem, cum etiam confessione criminum suorum vñ fuisse maligni spiritus memorentur. APOLLONIVS. Eorum confessionem audire delector. CAESARIUS. Quod dicturus sum, non legi, sed à viris religiosis audiui.

Ecclesi. 17.

## CAPVT XXVI.

Sacerdos quidam, cum tempore quadragesimali in ecclesia sua sederet, & sibi commissorum confessiones audiret, aliis recedentibus atq; aliis accedentibus, inter expectantes quidam stabat, quantum ad apparentiam corporis, iuuenis & robustus, cōfitendi tē-

*Dæmon  
confite-  
tur.*